





12

DISPV TATIO THEOLOGICA  
DE  
**COMPARATIONE STATVS  
ECCLESIAE APOSTOLICAE**  
ET  
HODIERNI RITE AC SOBRIE INSTITVENDA

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO KNAPP,**

THEOLOGIAE DOCTORE,  
EIVSDEM QVE PROFESSORE ORDINARIO,  
FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO  
PIE COLENDO,  
D. XVI APRILIS C<sup>1</sup>9 C<sup>1</sup>CC<sup>1</sup> LXXI.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**IOANNES CHRISTIANVS IANI**  
FRISO ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS ANDREAE STEPHANI.

(42)

DISPUTATIO THEOLOGICA  
COMPARATIONE STATAR  
ECCLESIAE APOSTOLICAE  
HODIERNI RITE AC SCORPII INSTITUENDA  
JOANNES GEORGIO KINKE  
AUTORE AC PRAEFECTORE SVO  
JOANNES CHRISTIANUS VANI  
HALAE MAGDEBVRGICAE  
THEOLOGI JOANNIS ANDREAS STEPHANI

VIRIS  
SVMME VENERABILIBVS, AMPLISSIMIS,  
DOCTISSIMIS,  
**IOANNI LUDOVICO**  
**LINDHAMMER,**

PRINCIPATVS FRISIAE ORIENTALIS SUPERINTENDENTI  
SPECTATISSIMO,  
SENATVS REGII ECCLESIASTICI AMPLISSIMO MEMBRO,  
ECCLESiarVM SCHOLarVMQUE EPHORO GRAVISSIMO,  
ATQVE

**ANDREAE ARNOLDO**  
**GOSSEL,**

CONSILIARIO REGIO ECCLESIASTICO DIGNISSIMO,  
SCHOLarVM INSPECTORI GRAVISSIMO,  
ECCLESiae AVRICANAe PASTORI EXACTISSIMO,

NEC NON  
**D. GOTTH. AVGVSTO**  
**FRANCKE,**

SS. THEOL. PROFESSORI ORDINARIO,  
ORDINIS THEOLOGORVM SENIORI,  
INSPECTORI PRIMAE DIOCESEOS SALANAe GRAVISSIMO,  
MINISTERII HALENSIS SENIORI,  
MERITISSIMO AD AEDEM B. V. ARCHIDIACONO,  
DIRECTORI PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEY  
GLAVCHENSI VIGILANTISSIMO,

VIRIS  
VIRTUTIS, MERITORVM ET DOCTRINAЕ  
SPLENDORE  
CLARISSIMIS,  
PATRONIS SVIS  
OMNI PIETATIS OBSERVANTIA  
SEMPER COLENDIS,  
QVALECVNQUE HOC SPECIMEN ACADEMICVM  
IN  
GRATISSIMAE INSIGNIBVSQVE BENEFICIIS OBSTRICTISSIMAE  
MENTIS TESTIFICATIONEM  
D. D. D.  
D. GOTH. AGESTO  
ERANCKE


JOANNES CHRISTIANVS IAN.



DE  
**COMPARATIONE STATVS  
ECCLESIAE APOSTOLICAE**

ET

HODIERNI RITE AC SOBRIE INSTITVENDA.



SECTIO I.

**QVAE PRAELIMINARIS EST.**



§. I.

**O**mnes sane, qui finium rei Christianae legitimo pariter ac felici modo prorogandorum magno flagrant desiderio, neque remisso ac dissoluto animo ferre possunt corruptum ciuitatis, quae a Christo nomen habet, statum; illud in primis semper in votis habent atque optatis, ut purissimum ac diuinum cognitionis lumen in voluntatem Christianorum, et ita etiam in externas quoque eorum-

A

dem

dem actiones influat quam efficacissime; vt Christiani non nomine tantum, sed re ipsa ac proinde Christi vere participes sint atque imitatores. Atqui haec pia vota, vt ullam mercantur reprehensionem, tantum abesse, vt omni potius laude videantur dignissima maximeque sacris oraculis consentanea; quis non videt? Enitendum itaque est summopere cuius Christi cultori, vt, quantum in se est, huic iustissimo satisfaciat desiderio, neque negligat, quae sacra scriptura eum in finem vel praecepta dedit vel proposuit exempla dignissima imitatione. Extant enim in sacris paginis non optima solum praecepta, quorum obseruatione quisquis dignum sanctae civitatis membrum fieri potest, et ad quae totius ecclesiae status conformari, quantum fieri potest, debet; sed praecepit quoque praestantissima cum singulorum hominum, tum totarum ecclesiarum exempla occurront, ex quibus longe plura fieri posse apparet, quam homines vulgo sibi persuadent, aut persuaderi volunt.

## §. II.

Notabilis itaque est quam maxime prima ecclesia apostolica in libris N. T. descripta, cuius statum bonum atque egregium eam ob causam a spiritu sancto amplissimis verbis expressum esse, arbitror, vt tam egregio exemplo ecclesia sequentium temporum ad idem puritatis sanctitatisque studium incitaretur. Hanc ecclesiam magna quoque apud sequentium temporum ecclesias auctoritate valuisse; nullus, credo, erit, qui infinitetur, nisi qui in historia ecclesiastica hospes fuerit ac peregrinus. Neque id sine multis grauibusque rationibus accidit, quarum hae iustissimae fuisse videntur; quod illa ecclesia a maximis viris diuinitusque adflatis, quicunque singulari Christi, summi ecclesiae capititis, mandato agebant, fundata est ac directa; et quod egregiis virtutibus Christianis admundum fuit spectata, sicuti hoc sacrae litterae fatus luculenter testatum faciunt. Ex quo etiam factum est, vt illi, qui multa postea introduxerunt ac fecerunt ab vsu et sententia ecclesiae apostolicae prorsus aliena, opiniones tamen suas erroresque atque instituta accepta referre voluerint ecclesiae apostolicae; et cum ex ecclesie litteris apostolicam originem plane probare non potuerint, ad sic

sic dictas traditiones apostolicas scriptis N. T. non comprehensas confugerint.

## §. III.

Non igitur inutile fore arbitramur, si cum illo ecclesiae apostolicac, quae omnibus temporibus exemplo fuit, saltem esse debuit, statu, hodiernum comparemus huncque ad eum examinamus, videamusque, quatenus et quibus in rebus ecclesiam apostolicam imitari similitudinemque illius exprimere etiam hodie debeat, nisi nefarie praecuaricari, et cum maximo animarum, ciuitatisque sacrae damno a praescriptis optimi seruatoris ac domini ecclesiae recedere velimus. Quo minus igitur vulgo ad hanc rem attendi solet; eo magis credimus, hanc breuem nostram tractationem: *de Comparatione status ecclesiae Apostolicæ et hodierni rite ac sobrie instituenda*, quodammodo utilem fore, ideoque gratiam. Et si huic argumento non ita, vt expeditabitur forte a lectoribus, propter tenuitatem virium meorum satisfecerit, dignitas tamen illius et grauitas forte apud illos efficiet, vt mihi veniam dent vires meas quantum licet in illo periclitanti. Quo vero illa quae dicere constitui, eo planiora siant, hunc in tractatione sequemur ordinem, vt *primum* notiones, quae aliqua egent explicacione, explicemus; *deinde* ecclesiae Apostolicæ verum statum, quam possumus, breuissime ob oculos ponamus; ac *denique* doceamus, quatenus in eo elaborare debeamus omnino, vt statum illum exprimamus, vitiaque contraria corrigere conemur. Ita argumentum hoc tractantes speramus fore, vt conatus nostros qualesunque lectoribus aquis aliqua saltem ex parte probemus, ac forte etiam aliquid ad veras ecclesiae utilitates conferamus; vel si id non contingat, hoc saltem impetrerimus, vt appareat, bonam ad eam rem voluntatem nobis non defuisse.

## §. IV.

Quod itaque primum ad notiones attinet, quarum aliqua interpretatio necessaria est, ante omnia nobis ostendendum est, quid nomine ecclesiae Apostolicæ intellectum velimus. Ipsum ergo vocabulum ecclesiae varias significaciones in sacro codice habet, quarum hoc loco tres in medium sumus prolaturi. Primum hoc

A 2

voca-

## 4      SECTIO I. QVAE PRAELIMINARIS EST.

vocabulum sensu latissimo vi usus et derivationis (ab ἐκκλησίᾳ) quamvis designat concionem seu coetum conuocatum, quod ex A& XIX, 32. 33. 40. potest videri. Augustius deinde sumtum totum significat Christianorum populum, qui externa sacrorum societate iungitur, et Christi nomen proficitur; vide A& VII, 38. Cap. XX, 28. Sistit denique angustusque si sumatur, eorum proprie denotat societatem, qui cum Deo per Christum vere coniuncti sunt, et veram eccl. sicut inuisibiliter constituant, Eph. 1, 22. Ex sequente itaque tractatione facile patebit, nos in latiorem et impro priam sententiam vocabulum ecclesiae accepisse.

## §. V.

Cum vero etiam appellatio ecclesiae Apostolicae ambiguum interpretationem habere possit, nostrum est, quid illius nomine nobis veniat, ostendere. Ecclesia Apostolica ergo etiam dici potest, quae ad doctrinam, instituta et mores ecclesiae primae ab apostolis ipsis constitutae conformata est, eiusque perfectam similitudinem exprimit, et ita opponitur maxime ecclesiae corruptae atque ab illius similitudine magis vel minus recedenti. Proprio autem et strictissimo sensu, ratione temporis habita, particularem innuit ecclesiam, eum nimur Christi doctrinam profitentium coerum, qui floruit tempore Apostolorum, ipsosque autores ac rectores habuit. Et in hac proprie sic dicta ecclesia Apostolica describenda disputatio nostra versabitur; quod res ipsa fatis edocet.

## §. VI.

Ad Comparationis denique, cuius recte instituenda rationem sumus suppeditaturi, vim quod attinet, illa in eo ponitur, ut inquiratur, aut quae in duobus vel pluribus eadem sint vel diuersa, et quatenus alterum alteri praefter; aut quatenus, quod in altero est, ad alterum quoque possit ac debeat transferri. In his itaque notandis ac pro virium modo breuiter explicandis versabitur opera nostra. Caetera quid libi velint tam facile est intelligere, ut, si ea omnia definiendo explicare vellemus, laborem superuacaneum suscepimus merito videtur. Bono itaque cum Deo pedem proferimus ad ipsum tractationis caput.

SECTIO

## SECTIO II.

DE

## STATV ECCLESIAE APOSTOLICAE.

§. VII.

**A**nquam de Comparatione ipsa status ecclesiae primae ac hodierni agamus, praemittenda nobis omnino est aliqua status illius primaeui descriptio, seu potius, ne instituti nostri limites transfiliamus, breuis tantum delineatio. Ut vero in hoc statu delineando nimias credulitatis calumniam evitemus, tutissimaque in tota nostra dissertatione via incedamus; liceat nobis nullum alium, ex quo eius status cognitionem hauriamus, fontem querere, quam, quem nobis aperiunt certa sacrarum litterarum monumenta. Solent quidem interdum, qui de hac materia differunt, et alios priorum seculorum auctores tamquam duces sequi, id quod etiam non plane improbandum; attamen qui nimis illis confidunt et omnia promiscue, quae illi retulerunt ac pro apostolicis venditant, pro talibus habent, valde errare, adfirmare non dubito. Primo enim neminem fugit, multos existare libros, primi saeculi doctoribus adscriptos, qui tamen plane subditi, iisque temere adfici sunt. Deinde superiunt licet aliqua ex antiquitate Christiana monumenta genuina aliorum auctotorum, in quibus nonnulla de statu ecclesiae apostolicae occurruunt, quae etiam minime spernimus; non tamen omnia ita sunt comparata, ut certam satis fidem auctoritatempore habeant. Consultum itaque est, iis maxime nitit, quae si literae ipsae memoriae prodiderunt.

§. VIII.

Indicato iam cognoscendi principio proprius ad rem ipsam accessuri, qualis ille status fuerit, exponemus. Quum vero uno quasi obtutu omnia, quae hic moneri debent, complecti nequeamus, eundum nobis erit per partes, ita, ut primum ostendamus perfectiones huius ecclesiae cum ordinariis, tum extraordinariis;

A 3

deinde

deinde de nacuis etiam agamus egregio huic corpori nihilominus inspersis.

## §. IX.

Quod itaque ad primum attinet, nimirum *virtutes*, iam supra generatim a nobis monitum est, egregias valde fuisse et conspicia in eccllesia Apostolica. Qua de re quum nemo aequitate animi decenti praeditus iure dubitare queat, (improbos enim homines et irratores, qui libenter errant animumque contra veritatem obfirmant, iam non curamus,) supererit, ut potiora et quidem ordinaria ad hanc rem pertinentia exponamus. *Ordinaria* autem illa adpellamus, quae semper in eccllesia esse, manere ac diligenter retineri et debent et possunt, si in bono Deoque probato statu esse vult finemque Dei primarium rite consequi. Primum ergo locum hic habet totius doctrinae salutaris puritas ac castitas, quam post ipsuin Dominum apostoli, ad tantam rem muneribus Spiritus S. necessarii amplissime instrueri cum voce tradiderunt, tum etiam litteris consignatam ecclesiæ omnium temporum tamquam unicum fontem ac normam credendorum atque agendorum prodiderunt ac reliquerunt. Caput vero, summa ac nucleus quasi doctrinae apostolicæ in sequentibus maxime ponitur: 1) omnes omnino mortales sine illa exceptione, sive intra, sive extra ecclesiam sint, natura peccato esse inquinatos, corruptos, destitutos plane omni facultate et voluntate Deum recte et ita, ut ad salutem incundamque ac retinendam illius gratiam necessarium est, cognoscendi, amandi, colendi praescriptaque illius seruandi; esse contra ad omnia alia iam natura proclives, repugnantes verbo, voluntati ac consilii illius; esse propinde iam in viuierum omnes natura filios irae, reos ac dampnatos in iudicio diuino, nihilque per se facere, comparare ac praestare posse, ut se vel ipsos corrigant, vel Deum placent et gratiam eiusibi reconcilient. 2) Iesum Christum filium Dei unigenitum ac proprium, ac proinde summum ipsum essentialem atque aeternum Deum, in assumta vere humana natura unicum esse mediatorem inter Deum et homines, unicamque salutis, iustitiae, vitæ causam meritoriam per satisfactionem plenam obedientem.

dientia passiva et activa praestitam factum esse; ac proinde in solo Iesu esse iustitiam, vitam et gratiam pro hominibus; extra illum nihil apud Deum valere et ad salutem illorum aliquid conferre, quounque etiam nomine veniat. 3) Neminem vero Christi salutis que ac vitae ab ipso partae participem fieri, illaque frui, ac proinde re vera beatum fieri et manere posse, nisi qui credat vero atque ex animo in Christum; hanc vero fidem nec effici nec consistere posse, nisi in animo vere contrito, poenitente atque omnia peccata totumque statum suum cum lege diuina discrepantem dolente serio ac detestante. 4) Poenitentiam veram aequae ac fidem Christum amplectentem, habentem, tenentem, possidentemque esse donum et opus Dei supernaturale per vires naturales nulla ex parte efficiendum. 5) Fidem hanc sanctificationem quoque necessario operari facultatemque non minus, quam voluntatem ad omne opus bonum adferre, ac proinde tantum abesse, vt vera doctrina de fide vera que fides ipsa de sanctificatione serioque illius studio et vsu aliquid detrahatur, vt potius vera fides vnicus ac purus genuinae sanctificationis fons et maximum incitamentum sit. Has vero doctrinas, et quae cum iis necessario cohaerent, magna cum animi diuinaque certitudine cognitas illis ac creditas fuisse, vimque etiam suam diuinam ac supernaturalem in voluntatem illorum et vitam exseruisse, ipsa mutatio totius animi ac vitae, et libera earum professio, summarumque, quas haec Christianis attulit. calamitatum patientissima toleratio satis luculenter demonstrant. Obiiciunt hic nonnulli, cognitionem doctrinarum diuinarum apud primos Christianos minus tamen perfectam fuisse, quoniam non fuerit scientifica, vt logui mos est; at hi non cogitant, huiusmodi cognitionem, quam ipsi scientificam appellant, ad salutem consequendam non esse simpliciter necessariam; licet alio respectu vsus illi denegandus non sit, si sobrie adhibetur, si non cum neglectu viuae ac spiritualis cognitionis et usus doctrinarum diuinarum iuncta sit et ad illum trahatur; si scientifica theologiae tractatio, in eo maxime ponatur, vt ex puro et vno s. litterarum fonte animo religioso Deum, que reverente omnia maxime eruantur ac demonstrentur. Apud apostolos primosque Christianos, quae in hoc genere aut deerant,

aut

aut non adhibebantur consulo, longe maioribus ac valentioribus  
præficiis ac probationibus supplebantur. Conf. I Cor. I. et II.

## §. X.

Non vero tantum doctrinae puritate, sed et vitae morumque  
sanctitatem ex principio viuae fidei et amoris Dei fluente, laudatissi-  
mum illum ecclesiae Apostolicae statum maxime fuisse conspicuum,  
aeta Apostolum, eorumque epistolas luculenter testantur. Primo  
enim Apostoli omni studio ac labore id egerunt, ut sollicite semper  
docerent atque inculearent, omnem doctrinam salutarem omnemque  
illius cognitionem referri eriam debere ad usum ac vitam; esse illam  
alioqui mortuam, vanam atque inutilem homini, ipsius hominis cul-  
pa; tantumque abesse, ut hominem saluat, ut potius grauiores poe-  
nas diuinis ipsi attrahat, quae ab ipso Domino tradita, altissime et  
ipsi animis infixerant atque etiam aliis insigere laborabant. Deinde  
plurimi illo tempore, qui se ad Christi disciplinam conferebant,  
virtuti diuinae euangelii locum apud se relinquentes, huic Aposto-  
lorum atque reliquorum doctorum votis ac monitis obsequio suo  
respondebant: ex quo non potuit non egregius ecclesiae status oriri.  
Cuius quidem rei clarissimum exemplum in ecclesia Hierosolymita-  
na exstat, quae propter eximias christianas virtutes, fidem, fla-  
grantissimum Salvatoris amorem, precum ardentissimarum usum  
et dilectionem denique fratrum maximam optimis laudibus com-  
mendatur. A& II, 3. De ecclesiae Antiochenae prosperrimo statu  
praeclarum testimonium legitur, A& XIII, 1. Romanam ecclesiam  
summis ipse Paulus exornat laudibus in epistola ad eam scripta.  
Cap. I, 8. Qui etiam beatum ac florentem statum ecclesiae Thessa-  
lonicensis ita describit ac laudat, ut pudor et dolor omnino ani-  
mum subeat ac merito subire debeat, si hodiernum ecclesiae sta-  
tum adeo dissimilem, et, quod ad plurimos atinet, plane contrarium  
intueamur, nam si usus salutaris doctrinae ad salutem non floreat  
in ecclesia, omnis alias illius flos alii in rebus positus ac laudatus  
admodum caducus et exigui pretii in iudicio Domini est. Vide-  
mus ergo ex his, quo nobis maxime entendum ac laborandum sit,  
et quo omnes referendi tandem sint conatus nostri, nisi caput rei,  
pro-

Propter quam seruator ecclesiam sanguine suo redemit negligere,  
Prodere, et in grauissima Dei et animarum caussa nefarie praecua-  
ricari velimus.

## §. XI.

Progredimur iam ad statum huius ecclesiae externum, qui ita  
omnino fuit comparatus, ut interni status bonitas eo commodissi-  
me effici ac conseruari potuerit. Primum hic nobis respiciendum  
videtur ad eos, qui in ecclesia Apostolica docentium munere fun-  
gebantur. Illud enim postulabat ecclesiae christianaee finis, ut ad  
veram in Christum fidem et per eam ad veram salutem homines  
instituerentur et perducerentur; vnde sua sponte ortus est duplex  
doctorum scilicet, atque auditorum ordo. Doctores vero primae  
ecclesiae vel extraordinarii erant vel ordinarii. Illi, qui Apostolo-  
rum nomine appellabantur a Christo erant constituti, ut euangelii  
planae ac simplici praedicatione ecclesiis primo per vniuersum ter-  
rarum orbem conderent, eumque in finem facultate et potestate  
extraordinaria erant instructi ferendi leges, improbos, si e re vi-  
deretur, castigandi, ac denique doctrinam potestatemque suam,  
miraculis confirmandi. Hi autem conditis iam et compotis san-  
ctis ciuitatibus praeficiebantur, ut diuinam voluntatem hominibus  
interpretarentur, et traditam extraordinariorum doctrinam repe-  
rent atque inculcarent, qui multis nominibus in sacra scriptura  
insigniuntur. Dona varia, quibus extraordinarii doctores, ad  
quos multi haud sine ratione Euangelistas quoque et Prophetas  
referunt, praediti erant, eorumque usum ac necessitatem illis  
maxime temporibus silentio hic praeterimus, neque in officiis  
singulis ordinariorum exponendis multi erimus, id quod neque  
tractationis consilium neque breuitas eius permittit. Placet tan-  
tum panca de regimine ecclesiae Apostolicae adspergere. Pluri-  
mum sane in hac ecclesia Apostolorum valuisse auctoritatem diuini-  
tus satis superque confirmatam, non est, quod dubitemus. Quod  
autem de principatu Petri et summa in totam ecclesiam potestate  
sonniant multi Romanensium scriptores, firmo caret fundamento,  
atque humani ingenii fastusque commentum et opus est, a doctissi-

mis viris iam dudum debellatum. Constat tamen porro ex actis Apostolorum, etiam gregum ipsorum in diligendis doctribus, in rebus necessariis vel consituendis vel comprobandis, et in improbis ciuibus excludendis vel recipiendis, fuisse partes. Act. I, 15. VI, 5. 1 Cor. V, 1. 2. Patet vero ex iisdem locis iam citatis, nec non ex epistolis Pauli Pastoralibus, primos Christianos ex voluntate Domini id summo opere curasse, ut eius modi ecclesis suis ministros praeficerent, qui non minus pietate vera, quam cognitione praediti erant et caeteros praestabant, et vita sua atque exemplo traditas commendabant doctrinas; id quippe pro certo atque explorato habentes, ut etiam est, permultum ex variis apertisque caussis in recte tractando admouendoque cum debito fructu verbo gratiae interesse, ministrum seruatori vera fide ipsum esse addictum spiritualemque usum ac gustum doctrinae salutaris habere, eoque incitari, ut muneribus officii et deseruire et sufficere velit ac possit.

## §. XII.

Breuiter etiam hic ipsum cultum externum ritusque in ecclesia apostolica visitatos attingamus, necesse est. Quod itaque primum ad tempus cultus diuini attinet, ex Act. I, 14. aliisque locis videre licet, primos Christianos initio quotidie conuentus habere solitos esse, deinde vero, primum hebdomadis diem ab Apostolis ex voluntate Domini ad publicum Dei cultum in memoriam resurrectionis Christi esse constitutum, qui hinc dies Domini dictus est, Apoc. 1. Haec saltrem communis fere maximeque probata sententia est, quam ne nos quidem deferendam putamus, licet nos non fugiant, quae multi viri docti etiam ex veterum non minus, quam recentiorum Theologorum ordine contra illam disputauerunt. Conferri ac ponderari hac de re meretur elegans ac folida disputatio MOSHEMII Theol. moral. P. V. p. 459. sqq. Interim propter infirmitatem ex Iudeis conuersorum die etiam Sabbathi sacris interdum operabantur. Act. XIII, 42. 44. Ex iudaica quoque ecclesia ad Christianam Paschae celebratio transit; quod vero, an ex Apostolorum instituto factum sit, non liquet. Hos certe nullum huius tempus definitissime, magnae de illo seculo statim

tim secundo ortae contentiones testantur. De loco, vbi sacra peragebantur, non opus est, multa addere, quum notum sit, Christianos eo tempore non in templis aut aedibus sacris publicis ad eam rem instrutis atque accommodatis, sed in priuatis conuenisse. Ipse vero cultus diuinus in publicis conuentibus ita instituebatur, vt oracula sacra legerentur et explicarentur ab iis, qui ad eam rem apti erant, et quibus id demandatum erat. Intervulles vero inter has conciones et nostras hodie visitatas, non est dubium. Nullum enim tale artificium nec is ordo exhibitus. Liberior potius oratio erat; nec semper dictum aliquod aut pars sacri codicis pertractabatur, sed dogma seu aliud argumentum dicendi sumebatur, quod res et temporis ratio suppeditabat, sicut id etiam ex Christi et Apostolorum concionibus elucet. Fuit quidem pluribus in ecclesia loquendi facultas praeter ordinarios doctores, ad usum donorum extraordinariorum spiritus concessa maxime, quam tamen Apostoli grauibus de cauiss certis limitibus circumscripserunt. 1 Cor. XIV. Potissimum vero ad huncce Dei cultum pertinebant preces ad Deum summō ardore fusae, quod vel ex Act. II, 42. potest intelligi. Elegan̄tissimum earum exemplum extat. Actor. IV, 24. Multa vero precationum genera in usu fuisse, videri potest ex. 1 Tim. II, v. I. Precibus quoque cantus addebat, qui tribus nominibus, Ψαλμων και υμνων και ωδων distingui creduntur. Continebatur denique etiam ille cultus sacramentorum administratione, baptismi scil. et sacrae coenae. Baptismus in ecclesia Apostolica immersione in aquam maxime peragebatur, quod etiam ex dicto Paulino Rom. VI, 3. 4. intelligi potest. De baptismo super mortuis diuersas eruditorum sententias colligit BUDDEVS Eccl. Apost. C. VI. §. 4. Forte ratio illius hodie non amplius cerro definiri potest, licet sententiarum discrepantium aliae alias verisimilitudine vincant. Ex ratione baptismum administrandi colligi facillime potest, eum extra publicos conuentus administratum esse. Quod ad sacrae coenae administrationem attinet, adferabant Christiani pro sua quisque facultate munera, ad pauperum maxime usum, cuiusmodi munera oblationes post vocata; ex his oblationibus tantum etiam panis & vini sumebatur, quantum s. coenae

administranda erat opus. Erant autem cum sacra coena coniuia, quae Agapas dicebantur salem saepe et multis in locis coniuncta; quae tamen mox variis vitiis laborare cooperunt a Paulo et Iuda grauiter reprehensis. vide PFAFFII diss. de oblat. eucharist. in primitive eccles. Caeterum omnes, qui in ecclesia Apostolica erant visitati, ritus ita comparati fuerunt, ut aeuui illius simplicitati optime conueniebat. Certe nullum in hoc aeuo illis relictum est praefidium, qui sequenti tempore inumeras caeremonias ad pompam potius et ostentationem, quam ad aedificationem comparatas induxerunt. Decrescente enim vi diuina cultuque Dei sincero in Spiritu ac veritate, miseri mortales libenter eo delabi solent, ut si non omnem abijicere religionem volunt, magna illa rerum inania, inasiam sumtuosarumque saepe ceremoniarum multitudine, tanquam vanis umbris et imaginibus explere instituant.

### §. XIII.

Praeter haec, quae commemorauimus, ordinaria in ecclesia Apostolica, etiam alia fuisse extraordinaria neminem sane fugere potest. Enimvero multi, simul atque per baptismum cum Christo erant coniuncti, facultate linguis, quas numquam didicerant, videnti, aegrotos sanandi, praedicendi futura, aliaque plura, quae vires humanas longe superant, efficiendi donabantur. Licet enim haec dona extraordinaria Christi legatis maxime fuerint concessa, ut iis, quatenus ecclesiae constituendae ratio id postulabat, vterentur: tamen alios quoque fuisse, quibus haec vel illa tributa erant, historia sacra minime nos dubitare sinit. Act. II, 43. VI, 8. VIII, 13. Rom. XII, 4 sqq. 1 Cor. XII. XIII. XIV. Nos vero in singulorum donorum explicatione non morabitur, si eorum usum ac necessitatem breuissime ostenderimus. Haec enim charismata extraordinaria ecclesiae Apostolicae maxime propria fuisse ac temporis progressu desuisse, non est, quod moneam. Necessitas vero et usus eorum sequentibus continetur: 1) Necessariae erant haec extraordinariae potentiae diuinae demonstrationes per apostolos aliasque editas, ut manifestum fieret omnibus aequis iuxta atque iniquis iudicibus, non hominum vi ac consilio, sed sola Dei potentia pariter ac

ac sapientia fundatam esse ecclesiam christianam. 2) Ut certa et indubitate diuinitas ac veritas totius euangelii tot tantisque operibus Dei confirmaretur ac contra hostium impetus stabileretur, coquē via ipsi in hominum animos falsis ac contrariis opinionibus imbutos aperiretur, quo vim suam salutarem eō melius in iis ad debitam attentionem excitatis exferere, veramque fidem efficere posset. Tanta enim opera, tam diu, innumeris in locis, per tot homines, in conspectu tot hominum, tantaque multitudine peracta, testimonia rerum ab ipso Deo data erant, omni exceptione ac dubitatione maiora, contra quae ne minima quidem suspicio fraudis vel erroris locum habere poterat. Conf. Ebr. II. v. 1 sqq. Minime vero putandum est, dona haec extraordinaria per se aliquid ad aeternam salutem consequendam illis contulisse, qui habebant, quippe quam et illi sola vera ac viua fide in Christum adepti sunt. Rom. III, 24. Cor. XIII. Marth. VII, 21 sqq. Ex 1 Cor. XII. XIII. XIV. aliusque locis apparent vero sequentia notatu dignissima, 1) omnia dona ministrantia, siue extra ordinem diuinitus data, siue studio ac diligentia comparata, esse propter sanctificantia et ad illa ita referri debere, ut sanctificantia et in nobis et in aliis per media gratiae ordinaria vel efficiantur vel augeantur. 2) Homines donis ministrantibus recte ac decenter vti nec posse, nec velle, nisi sanctificantibus praediti illorumque serio etiam studiosi sint. 3) Fraudulenter ac dolose illos agere, qui comparationem donorum ministrantium a serio ac debito sanctificantium studio seiungunt; et ex hac separatione pessimos abusus donorum ministrantium oriri.

#### §. XIV.

Quamvis vero felix admodum fuerit, ut ex adlatiis apparet, apostolicae ecclesiae status; ex omni parte tamen perfectum et omnium plane naevorum ac corruptelarum expertem, fuisse, dici ac probari non potest. Contrarium enim ex ipsis s. libris apparet. Generatum vero et in antecessum sequentia sunt notanda, ne in alterum partem labamur. 1) Non omnium ecclesiarum status aequalis fuit, sed inter eos admodum intererat; alia melior alia ac purior erat; cum quod ad doctrinam, tum quod ad ysum illius debirum at-

tinet; id quod ex lectione v. g. epistolarum ad Thessalonenses, ad Corinthios et Galatas luculentiter appetet. 2) Temporis progressu corruptelae et doctrinæ et vitae maiores, ecclesiæ multas rursum magis inuaserunt, ut multum pristini splendoris amiserint. Conf. epp. 2 Petri, Iudae, Iacobi et Apoc. II. III. In primis igitur Paulus multa Corinthiorum vitia multis verbis redarguit, qui v. g. iusto leniores fuerant in quendam, qui incestu se contaminauerat, 1 Cor. V. et litigarent inuicem ob res temporales 1 Cor. VI, 1, qui praeterea libertate christiana abusi et non levia in s. coenæ administratione vitia commiserant 1 Cor. VIII-XI. Variae praeterea in hac ecclesia dissensiones ortae ac Schismata, eam non omnibus numeris absolutam atque consummatam fuisse, clare satis ostendunt. Quo potissimum aemulatio illa referenda est, quae inter eos, qui ex Iudaismo et ex gentilismo ad Christianam religionem transierant, subinde orta est, et apostolos valde exercuit. Conf. E V D D E I eccl. Apost. Cap. III. §. III. pag. 148 sqq. De haeresibus vero tempore Apostolorum, an et quænam manifestæ fuerint, vide M O S H E M I V M in historiæ eccles. institut. Sec. I. P. II, Cap. V. et WEIS MANNI hist. eccl. Sec. I. §. 34.

## §. XV.

Sed videamus etiam, qua ratione Apostoli, quantum in ipsis erat, cauerint, ne erroribus ac vitiis status ecclesiæ corrumperetur et christianæ religionis plantatio et prorogatio impediretur. Nimirum primo et ante omnia docendo, redarguendo, cohortando, rogando et obseruando vitiis omnis generis obuiam ire lababant. Quæ remedia si nihil proficiebant, ipsi Apostoli singulari poreftate instructi erant flagitiosos homines, qui sine magno detimento ac dedecore in ecclesia tolerari non poterant, et vel falsis doctrinis vel improbis moribus impedimentum rei christianæ adferebant, castigandi et grauioribus afflictionibus extraordinariis coercendi. Quæ quidem poreftas extraordinaria ideo ipsis a servatore sapientissimo videtur concessa, ut calumniis et obtræfactiōnibus aduersariorum eo melius occurri posset, et ut necessaria autoritas doctrinae apostolicae eo magis apud ecclesiæ constitueretur.

Illos

Illos vero interdum eadem vlos esse, satis appetet ex Act. V, 5, sqq. XIII, II. 1 Cor. V, 3. 1 Tim. I, 20. Penes ecclesiam quoque disciplinam ecclesiasticam fuisse, tam certum est, quam quod certissimum. Sunt quidem doctissimi viri, qui in ea sententia sunt, motrem sic dictae excommunicationis ex ecclesia iudaica in Christianam esse translatum; sed minime opus habere videamus, inde originem petere, cum res ipsa Christianos docere potuerit, fraudi id fore societati ecclesiasticae et finibus illius, si huiusmodi homines tamquam membra illius tolerarentur, qui finibus illius, legibus atque institutis se contumaciter opponerent, debitaque officia graui-ter violarent. Conf. 1 Cor. V.

## S E C T I O III.

DE

IPSA COMPARATIONE RITE AC  
SOBRIE INSTITVENDA.

## §. XVI.

**P**raemissa igitur breui status ecclesiae Apostolicae descriptione, pro instituti ratione iam agendum est de ipsa eius cum hodierno statu comparatione. Dicenda vero de hoc argumen-to amplio satis ac copioso, duabus rebus breuiter comprehendendimus; 1) itaque praecepta quedam generalia trademus, illi omnino sequenda atque obseruanda, cui negotium hoc bene succedere debet. 2) Specialiores quasdam cautiones adiungemus, quas tota res haber, si de imitationis ecclesiae apostolicae studio necessario sermo est.

## §. XVII.

Primum itaque generalius praeceptum illi, qui hanc comparationem instituit, obseruandum in eo ponitur: *ut gaudeat nece-saria virtusque ecclesiae status cognitione ac diiudicatione.* Etenim hoc in ipsa comparationis natura maxime est fundatum, quippe quae

quae in perspicienda conuenientia et diuersitate duorum aut pluriū versatur. Quomodo autem res conuenire aut differre, intelligere poterimus, nisi ipsae nobis sint satis perspectae? Sed neque nuda status viriusque cognitio negotio sufficit, nisi accedat iudicii usus, quo virtutes ac naevi viriusque status rite expendantur, et ex his collatis efficiatur, quantum et quatenus alterum alteri praestet. Ideoque cum sufficientibus naturae ac gratiae donis, tum etiam facultate sacras litteras recte interpretandi praeditum esse oportet, qui et antiquum et recentiorem ecclesiae statum recte perspicere, sanum de utroque iudicium ferre, illaque comparatione recte vti ac cauere vult, ne ad varios scopulos cum iactura vel periculo salutis offendat.

## §. XVIII.

Huc quoque pertinet alterum praeceptum ex praecedenti reatissime fluens, ut nimirum ad hanc comparisonem non accedat, nisi qui animum habeat praesuntis opinionibus liberatum. Hac enim, ut ubique sic et in hoc negotio hominum oculos valde praefringunt, et magna impedimenta adferunt veritati atque iudiciorum aequitati. Hoc vero vitio primo illi laborant, qui primae ecclesiae statum omnibus numeris absolutum putant, ac iusto plus aagent, bona tantum respicientes, naevi plane ptaetermissi aut negatis, qui tamen in sc. litteris indicantur. Solent vero fere, qui hoc faciunt, opinione illa sua abuti ad impatientiam, ad desperationem abiectionemque animi in faciendo opere Dei, multaque alia aequo noxia. Sunt vero etiam ex altera parte, qui corruptelis hodiernis adsueti, plus, quam par est, illum statum ecclesiae apostolicae praeclarum omnino valde extenuant, atque in illo vix aliiquid deprehendunt, quod ipsorum vituperationem possit euitare. Hinc etiam fit, ut statum hodiernum ab illo primo nihil vel parum dif- ferre existimant, imo parum ab eo absint, ut credant alisque etiam persuadere velint, statum ecclesiae meliorem esse non posse, quam re vera hodie sit. Ex quo fit, ut studium et labor illorum, qui emendationem serio urgent, cupiunt et curare volunt, ipsis suspecta et inuisa sint, et nescio, quae mala et perturbationes inde metuant.

metuantur. Quibus omnibus, ut facile est ad intelligendum, leui-  
tas ac securitas apud multos alitur, et hac opinione ad se tuendam  
abutitur. In vitroque extremo falsitatis et deceptionis periculum  
inest, quod, qui aequissimo animo et ab omni partium studio re-  
mouissimo rem adgrediuntur, optime effugiant.

## §. XIX.

Iam vero ad alterum huius sectionis momentum pedem pro-  
feramus, quod in eo ponitur, ut regulas quasdam suppeditemus  
specialiores, obseruatu summe necessarias, ne hoc vel illo  
modo a recto discedatur tramite. Quum enim hoc ab iis fieri,  
certum sit, qui vel hodiernam ecclesiam valde corruptam et con-  
turbatam deserunt plane, quod non plane respondeat apostolicae,  
vel nihil in illa cum apostolica comparata vel parum desiderari  
posse, putant: magnam et in eiusmodi querelis et laudationibus  
adhibendam esse cautionem, a nemine iure in dubium vocabitur.  
Huius ergo cautionis haec prima regula statuatur: *In Comparatio-  
ne ecclesiae hodiernae potissimum ad essentiales et ordinarias ecclesiae  
perfectiones respiciatur.* Quam quidem regulam firmo superstru-  
dam esse fundamento, haud difficile erit probatu. Si enim per-  
fectiones ordinariae et essentiales eae sunt, quibus principalis ec-  
clesiae finis, qui proxime est hominum aeterna salus, omni tem-  
pore et vnicce obtinetur: earum in primis respectus habeatur in  
hac comparatione necesse est, quippe quea eo pertinent, ut eccl-  
esiae eiusque membrorum curetur et augearur spiritualis felicitas.  
Nam vero recta gratiae mediorum administratio, eorumque salu-  
tates in hominibus effectus, ad eum finem nos perducunt: hinc  
in primis videndum est, an et quatenus legitime administrentur  
verbum diuinum et sacramenta, et salutares quoque sint in homi-  
num animis eorum effectus. Quod idem posset et hac ratione  
euinci. Quodsi Servator noster eiusque Apostoli hoc potissimum  
omnium temporum ecclesias praeceperunt ad salutem aeternam  
consequendam, ut homines salutis mediis rite vtantur, eorumque

C

effe-

effectus, fidem scilicet in Christum et sanctitatem in se produci sicut: in apice est, nobis ad eas perfectiones potissimum esse adspirandum. Hae eadem sunt, quae tantis laudibus ecclesiam Apostolicam exornant; quod fidei, sanctitatis et constantiae ex illa sumi possunt exempla. Hinc itaque concludere nobis licet: Quo propius ecclesia respectu perfectionum essentialium et ordinariarum ad Apostolicam accedit, eo maior est illius vera laus.

## §. XX.

Pergimus ad aliam comparationis regulam statuendam, quae aequa in rei natura ac recta ratione fundata videtur: *Ratio diuersitatis temporum et circumstantiarum est habenda.* Quae quidem comparandi lex, cum latissime pateat in rebus humanis, etiam applicari debet in rebus ecclesiasticis. Cui enim non constat, temporum diuersitatem, locorum atque hominum mulum et diuersitatis attulisse statui ecclesiae vniuersae. Alia enim fuit Veteris, alia noui Testamenti ecclesiae conditio: alia est ecclesiae nascientis atque plantandae, ac iam plantarae et propagatae ratio. Tunc enim temporis, quum primo nasceretur Christianorum respublica, multa extraordinaria fuerunt, eaque necessaria, quibus, procedente tempore, facilius carere potuit Christiana ciuitas, ex voluntate summi eius capitisi, rerumque natura. Valer id v. g. de munere Apostolico, cuius quum finis et ratio institutionis non amplius adsit; cur nostro tempore non habeat in ecclesia locum, non difficile est, videre. Hinc quoque extraordinaria, quibus hic Christi legati erant instructi dona desierunt. Horum enim aliorumque, quibus primi Christiani gaudebant, donorum, quum hodie tanta necessitas et vsus non amplius sit, reprehendendae esset temeritatis, ista a Deo temere efflagitare; licet probari, nequeat, Deum in verbo suo omnibus extraordinariis quasi plane renunciasse aut declarasse, se nusquam aut nunquam amplius tale quid facturum.

## §. XXI.

Sic etiam ii temporum ac circumstantiarum dissimilitudinem in comparando ecclesiae apostolicae et hodiernae statu non satis considerant; qui cernentes in prima ecclesia Christiana exiguum admodum usum fuisse artium ac scientiarum variarum humanarum usum, eo delabuntur, vt hodie quoque eas plane exterminatas, et plane non ab iis in primis coli velint, qui muneri sacro praefici debent. Sed licet nonnulli bene alioquin animati interdum eo usque progrediantur, quoniam magnum harum rerum abusum, qui mox in ecclesiam inuasit, confusionemque indecentem doctrinarum diuinuarum humanarumque, et illarum per has obsecrationem peruersiōnem et eneruationem iusto cum dolore animaduerterunt; probari tamen minime potest, quod propter abusum omnem usum negant et abiiciunt. Cogitare enim merito deberent, 1) immediata et extraordinaria multa desisse et etiam definere debuisse, v. g. linguarum donum, quarum tamen ex parte facultas et scientia ad iustam ac genuinam interpretationem litterarum plane necessaria est, et iam non nisi studio ac disciplina comparari potest. 2) Varii errores ac vitia temporis progressu in ecclesia orta aliarum etiam rerum praesidia certo modo postularunt, vt periclitantibus eo melius consuli posset. Diuersitas ergo temporum et circumstantiarum hic omnino respicienda est, caueniendumque modo, ne opponantur, aut se iungantur, coniungenda, idque, quod caput caussae est, et quo omnia referri debent, iis obruator et negligatur, quae ipsi subseruire debent. Videamus modo, ne ita scientiae habeatur ratio, vt nulla habeatur conscientiae, quod multis imo plurimis accidit. Videamus porro, vt in tanta scientiarum ac disciplinarum multitudine ac varietate, necessaria, utilia et inutilia ac vana, (his enim fane non caret illa multitudo) probe distinguamus ac feligamus. Videamus porro, quatenus quaeque res vero in theologicis usui sit, et quatenus usus ille pateat. Cogitemus, facilem quidem esse harum cautionum praeceptionem et intelligentiam, difficilem vero obseruationem et ita comparatam,

ut plane diuino auxilio, submisso, sollicito pioque animo experendo ad illam opus sit.

§. XXIL

Quum et quaedam deprehendamus, quae in vno alteroue ecclesiae Apostolice coetu tantum locum habuerunt, et quae ad tempus modo durarunt: verisimillimum omnino videtur, haec licet ab Apostolis concessa, non tamen ab ipsis esse praecepta. Vnde sua sponte redundat haec cautionis lex: *Non pro norma agendi habetur, quod in una alteraque ecclesia Apostolica fuit in usu.* Non itaque contendere licet, communionem bonorum, qualis in Hierosolymitana tantum fuit ecclesia, ecclesiae esse necessariam. Siue itaque ea de possessionum, siue de usus communione interpretanda sit; id numquam nos obstringer, quum de aliis quidem ecclesiis illud idem non conster.

§. XXIII.

Quarta denique regula haec sit: *Nullam absolucionem habent obligationem, quae in ecclesia apostolica quidem obseruata, at non praecepta; sed libertati ecclesiae relicta sunt.* Quae quidem regula ita videtur comparata, ut nulla egeat verbosiore demonstracione. Quaeritur modo, quae fuerint in hominum libertate possita. Vbi responderetur; ea, de quibus a Christo et Apostolis nil universaliter praecepimus, quaeque per se nihil ad aeternam salutem consequendam conferunt. Quo nimurum pertinent plurimi ritus ecclesiae Apostolicae, e. g. oblationes, coniuia sacra, impositionis manuum, certa tempora precibus destinata et jejunis et sic plures. Nullo igitur modo propriea, si ecclesia tales ritus non obseruat, reprehensionem per se meretur, nec nefariae defensionis a similitudine ecclesiae Apostolicae accusari potest, si modo in necessariis ad illius similitudinem accedat; sunt enim talia per se libera, nemini nomine necessarii cultus diuini aut efficaciae ditu-

nas

nae cum iis coniunctae temere obtrudenda: plurima etiam quum partim sint instituta mere humana, Apostolis indulgentibus, ex Iudaica in Christianam ecclesiam translatâ sunt. Quae quidem sententia consentientem habet MOSHEMIVM Instit. Hist. Eccles. Saec. I. Part. II. Cap. IV.

## §. XXIV.

Placeat vero antequam finem faciamus summatim et breuiter potiora exponere, quae nobis in ecclesia apostolica tamquam exempla, et ita ad imitandum sunt proposita, ut ab iis recedere nefas omnino ducere debeamus. 1) Itaque doctrina apostolica sollicite, arctissime et quasi mordicus tenenda est. Quae vero summa illius sit et caput, supra iam ostendimus. Verbum itaque poenitentiae et fidei viuae ac diuinæ in Iesum Christum vnicum salutis humanae auctorem et fontem vigeat semper in ecclesia necesse est, et ita vigeat, ut semper primas teneat coque cum cura referatur, ut solida ac diuina fundamenta vitae nouae ac spiritualis in animis ponantur, ex qua deinde reliqua proficisci debeant. Qui hoc aut plane negligunt aut remisse trahant et agunt, ut fere ab iis fieri solet, qui ipsi usum harum rerum spiritualem non habent nec seruo saluti animae student, magnopere peccant cum ingenti animorum damno. Eo enim sane tota doctrina apostolica aperre refertur ac periret, ut homines agniti efficaciter caccitate et morte spirituali, ac grauissima depravatione naturae respectu rerum spiritualium, ad Iesum, vnicum et perfectum seruatorem deducantur, eum lucentur, in eo inueniantur, sint et vivant vnicce, abiecta plane omni fiducia iustitiae, dignitatis et facultatis propriae ea praestandi, quae in foro diuino, ad salutem animae, ineundam ac retinendam Dei gratiam, tribuendumque ipsi cultum verum ac probatum aliquid valeant. Non libenter audiunt, multoque minus usum harum doctrinarum subeunt homines, quia gustui illorum naturali corrupto iam ingratae sunt; at ideo non minus necessariae iis et salutares sunt et manent. In his ergo tradendis,

inculcandis animus et studium fidelis in primis ministri ecclesiae ne lassetur, nec vñquam cupiditatibus ac moribus saeculi haec nau-  
seantis aliisque magis inhiantis ita aliquid concedat, vt haec ne-  
gligat, eorumque ipsum pudeat aut pigeat. Id enim male esset  
temporibus inferuire, monitumque apostoli negligere grauiter hor-  
tantis atque obtestantis, vt nucleum caputque salutaris doctrinae  
fideliter retineamus, tradamus, animisque omni studio admoue-  
mus, etiamsi in huiusmodi tempora incidamus, quibus id intem-  
pestiu[m] videatur, quaeque id aegre ferunt aliaque circumspic-  
ciunt. 2 Tim IV. Sicuti vero apostoli errores quoque salutari  
doctrinae contrarios vimque illius et efficaciam vsumque salutarem  
impidentes redarguerunt, veritatemque diuinam vindicarunt;  
ita et nostri officii est et manet idem facere, eamque ad rem verbo  
Dei maxime vti, quippe quod, apostolo docente, non solum ad  
doctrinam, sed etiam ad errores conuincendos redarguendosque  
vtile est. Ne vero in hoc negotio obliuiscamur haereses quoque,  
vt appellari solent, practicas non minorem sane, si non maiorem,  
quam reliquae, inter homines stragem edentes, detegere, aggredi  
et tamquam monstra saluti animarum infesta debellare. Conside-  
remus etiam viam rationemque docendi apostolicam, nam et illa  
docere nos potest, quae nobis et vsui et exemplo esse possunt ac  
debent. Sequentia itaque h[oc]a in re obseruare licet. a) Et maxi-  
me summa ac praecipua capita doctrinae salutaris de peccato, de  
vnica et vera liberatione a peccato per gratiam Domini nostri Iesu  
Christi, ac de poenitentia et fide fructibusque et effectibus illius  
necessariis tradebant, inculcabant animisque grauiter admouebant,  
vt in excitatis ad debitam attentionem viam suam salutarem eo fa-  
cilius exserere et demonstrare possent. Interdum si iis cum ho-  
minibus ethnicis maxime res erat, summis quoque ac praecipuis  
et planis theologiae naturalis capitibus expositus stultitiam illorum,  
errores, impietatem et infidelitatem redarguebant, quo hac ratione  
euangelio viam in animos praepararent. Si ita philosophati fuerant  
sed paucis, ipsum euangelium nunciabant id non curantes, si vel  
maxime multis stultitia videretur. Conf. Rom. I. Act. XIV. XVII.  
b) Si

b) Si doctrina salutaris bonos fructus veri et sinceri initii ac fundamenti poenitentiae et fidei, propensaeque voluntatis doctrinac salutari porro obtemperandi in animis genuerat et tulerat, ac huiusmodi homines in societatem ecclesiae, tamquam *σωζετοι* s' serio salutari cupientes, erant recepti, pergebant in institutione illorum fidelis, ampliorique explicatione doctrinac salutaris animorumque fidelis tractatione, emendatione et confirmatione per illam, omnia semper ad usum illius fidem referentes, c) occasione variorum errorum, vitiorum ac perturbationum in ciuitate Dei ortarum praeterea sollicitate vtebantur ad dilatandas, latiusque ac solidius explicandas muniendasque has vel illas doctrinas, id agentes simul et inculcantes, ut animae vita et efficaci cognitione Iesu Christi augeri studerent, quo contra lenocinia et illecebras errorum satis munitae essent. Probe enim sciebant tamquam sensuum humanorum optime gnari, nihil facilius, frequentius et humanae naturae indoli conuenientius esse, quam ut homines amissio primum veritatis sincero amore abiectione illius usus, ipsam mox veritatem amittant, et errori loco suo cedere cogant. Similes enim semper amant et amabunt labra lactucas. d) Ipsam porro doctrinam in populari maxime coetu tradere solebant orationis genere graui, facili, plano, perspicuo et ad omnium intelligentiam accommodaro, non sublimia, elata, obscura ac difficilia affectantes, sed probe ac prudenter existimantes, quod omnibus ad salutem prodesse debeat, ad omnium etiam intelligentiam aperte tradi debere. Non dubitamus affirmare essentialia huius methodi perpetui officii esse et manere in ecclesia, licet tempora illius etiam alia, de quibus supra iam dictum, suo modo postulent. Nouimus enim libenterque concedimus, omnes doctrinas humanas per se veras ac bonas (falsas enim, vanas, impias ac superstitiones plane exclusas volumus) in ciuitate Dei alicui, licet minime pari usui esse posse, si modus debitus adsit, si inflatio ac fastus absint; neutrum vero fieri aut fieri decenter ab iis posse, non minus persuasum habeamus, qui Spiritui Dei se non ex animo submittunt, verboque eius per illum se ex animo obedientes effici ac  
prae-

praestari patiuntur. 2) Viuebat ac vigebat vis et efficacia doctrinae salutaris diuina in animis in ecclesia apostolica per effectus et fructus salutares ac diuinos fidei, amoris ac spei, abnegationis sui ac mundi, precum ardentium etc. licet gradu inaequales et cum manifesto discrimine imbecilliorum et prouestiorum, eum in modum, ut apud plurimos, potioremque ecclesiae partem euangelium Dei non solum esset in verbo, sed etiam in potentia, et in Spiritu Sancto, et in magna certitudine. Id vrgbabant fideles Doctores et Pastores, id ipsi quoque consequebantur necessariumque sibi existimabant, non solum propter suam salutem, sed etiam ad debitam, fidem, magisque fructuosa munera administrationem. Quanta vero defectio populi Christiani proh dolor! postea consecuta, illiusque status primo illi quam dissimilis factus est! Caussae verae internae externaeque oculos lumine Dei illustratos et vntentes effugere non possunt. Id ergo iam cuique primo et maxime videndum est, ut ipse Spiritui Dei apud se locum relinquat, satis et variis modis, si modo attendere velimus, animum pulsanti, ut se vere ad Deum conuertat, et per viuam cognitionem Iesu Christi sordes mundi, qui in malo iacet, vere effugiat. Deinde eo quoque entendum, ut pro sua quiske facultate, pro modo gratiae et occasionis ipsi tributae, deprecando apud Deum pro omnibus, docendo, rogando, monendo, hortando, viuendo agat, quod suum est, et ad communem emendationem et utilitatem ecclesiae aliquid conferre labore. Proponendus omnino statuus ecclesiae apostolicae tamquam exemplar operaque danda, ut ad eius similitudinem, quantum fieri potest, denuo accedamus. Cauendum, ne cauantes, talem ecclesiam hodie Platonicam quandam et solis ciuitatem esse, optandam quidem sed non sperandam, aut per leuitatem et securitatem, aut per desperationem et abiectionem animi segnes remissique fiamus, in eo faciendo, quod fieri adhuc debet ac potest. Spectrandae, in tristi rerum ecclesiasticarum confusione et perfidia Christiani orbis, promissiones quoque Dei, quibus melioris suo tempore spiritualis status restituendi magna nobis spes fit, cogitandumque, lementem diligenter iam faciendam, quae non solum nunc

nunc sed etiam impostorum prouentum sit natura. 3) Viguit quoque in ecclesia apostolica disciplina, cuius ope et vsu ciues aperte mali et insanabiles tantisper a communione ecclesiae excludebantur, dum resplicerent signaque sufficientia redditus ad meliorem frugem darent. Conf. i Corinth. V. Maxime necessarium et vile hoc ad salutem societatis ecclesiasticae, ad cauendas graues offenses aliqua mala fuisse, nemo temere dubitauerit. Fieri etiam tum id poterat, cum propter statum et consensum majoris meliorisque partis ecclesiae, tum etiam ideo, quoniam magistratus fere nulla hac in re tum impedimenta obiiciebat. Poterant ergo omnia sine vi, sine perturbationibus aliarum rerum fieri. Nec dubitari potest, Apostolos aliquosque id omni studio egisse, vt in disciplina mitis et euangelica severitas cum non dissoluta clementia exerceretur; sicut illud etiam ex epistolis ad Corinthios satis apparet. Hodie vero proh dolor per miserum ac perturbatum ecclesiae statum, per porestatem et multitudinem malorum disciplina ecclesiastica tantum non penitus collapsa est, et si adhuc hic vel illie umbra illius superest, accidit fere, quod poera iam olim cecinit, *dat veniam coruis, vexat censura columbas.* Deus sine dubio rationem repeteret aliquando ab iis, qui officium suum hac in re negligunt, idque non faciunt, quod facere adhuc possent ac deberent. Interim illi, qui Deum timent, quibus salus animarum curae est, orando, gemendo, docendo, rogando, horlando, reprehendendo facere debent, quod suum est. Reliqua Deo sunt committenda. Nullo modo ergo hic per vim sub praetextu disciplinae apostolicae restituenda tentandum quid aut agendum. Hoc enim non solum iam fieri non posset, sed etiam per Domini praecepta non licet. Nec porro ob deficientem disciplinam decentem sciungere se licet ab externa sacrorum et cultus communione melius animatis, quoad sacramenta in essentialibus ad praescripta Domini administrantur, doctrinamque publice traditam ad regulam verbi divini renocare et ea retinere et sequi licet, quae illi conuenientia deprehenduntur. Contra vtrumque malum Dominus ipse corruptum ecclesiae statum propiciens suos muniit, docens quid aut facere aut non facere debeant, si aliquando futurum sit,

## 26 SECTIO III. DE IPSA COMPARAT. RITE ETC.

ut in agro hoc infelix lolium et steriles dominantur avenae. Matth. XIII. Primo enim Dominus distinguit lolium et triticum, illiusque naturam et originem ab hoste repetendam indicat. Dicit itaque et vult bona et mala in ecclesia sollicite distinguere, ac proinde lolium non pro tritico haberi. Et quod ipse fecit, serui etiam faciebant. Hoc ergo etiam nobis faciendum esse intelligimus. Noluit vero Dominus per Seruos aut triticum a zizaniis, aut zizania a tritico vi adhibita separari, maius ab hac re periculum metuens, sed separationem huius generis sibi referueruit. Denique noluit etiam Dominus a seruis deseriti plane agrum; quin potius manendum et opus fideliter faciendum esse, haud obscure indicavit. Quae cuncta sane ab animo religioso suaeque et aliorum salutis studiose serio expendi merentur, ne in corrupto ecclesiae statu, aut per securitatem et leuitatem male agere, ac malos et inconuersos manere cum malis, necessarium quasi et inevitabile putemus, periculosoque errore nos duci patiamur, quod per homines et licentiam moresque temporum iami liceat, rectum esse ac per Deum etiam licere, vel saltet ab eo non admodum curari, aut per impatientiam ad remedia malorum delabatur voluntati Domini non conuenientia. Sed finem hic facimus, suffrantes et rogantes, ut ipse Dominus ecclesiae suae amittantur misereatur, vulnera illius sanet, et omnibus

malis aliquando finem faciat. ORNAMENTUM



ORNATISSIMO DISPV TATIONIS

A V C T O R I

S. D.

P R A E S E S .

Magna omnino dignitas et gravitas argumenti est, 'Ornatissime IANI, quod in Disputatione TVA tradare instituisti. Nolui interim, postquam TIBI istud elegeras, impedire, quo minus vires TVAS in illo periclitareris. Exhibitum mihi scriptum perlegi, passimque alia induxi, alia adiunxi, prouti consultum videbatur, quo tractatio et excusatio et vitior fieret. Longe quidem plura in viroque consequendo praeflari potuissent; at primo scriptum non catenus retractandum putabam, ut meum magis quam TVVM esset; deinde quoque sumibus, maxime difficulti hoc tempore parcendum erat. Haec de disputatione ipsa breuiter mibi monenda erant. Ad TE quod attinet, Ornatissime IANI, tempus in FRIDERICIANA ita exegisti, ut mihi et aliis industriam in scholis vtaeque integritatem satis probaueris. Cum itaque iam in eo sis, ut patriam repeatas uilitaribusque ecclesiae in illa inferuias, summam votorum meorum bis complector. TEque peramanter hortor, ut pergas diligenter in optimis studiis colendis, ut vero etiam Spiritui Christi TE diuinatus formandum atque instruendum ita permittas, ut Homo Dei fias ad omne opus bonum aptus. D. in Fridericana d. V. April. c/o loco LXII.

AMMO

Collige

**C**ollige nunc laudes, doctrinae collige laudes;  
Vix illis iuuenum dignior alter erat.  
Ornent cedente; cedente vota sequantur,  
Iuncta quidem lacrimis, **DVL CIS AMICE**, plis.  
I pede felici, patriis et redditus oris  
Delicias preebe, deliciasque cape.  
Esto memor semper purae pietatis amici;  
Nostri, si placuit, foederis esto memor.

**AMICO CANDIDISSIMO post editum**  
publice eruditio*nis* **SVAE** specimen in  
patriam redeunti

**IOANNES GOTTHILF FÜLLER**

**THYRINGVS, SS. THEOL. CANDID.**

**OPPONENS.**

**ORNÄ**


ORNATISSIMO ET ERUDITISSIMO  
VIRO  
IOAN. CHRISTIANO IANI  
S. D. P.  
CHRISTIANVS MÜLLER,  
MAGDEBURGICVS, S. L. C.

A micitiae candidissimae, per septem propemodum annos  
inter nos gestas, magna omnino vis inesse debet  
atque dulcedo; quae quidem nisi maxima me adfice-  
ret laetitia, omnis sane humanitatis expers essem, vel esse fal-  
tem affectarem. Qua igitur impulsus non omnino possum,  
AMICE DILECTISSIME, pauca quaedam Dissertationi  
TVAE non adiicere, quae TIBI, quae amicitiae nostrae  
debeo. Gratulor Optimis TVIS, gratulor TIBI de exi-  
mio, quod publice magna cum laude defensurus es, erudi-  
tionis specimine. Gratulor de studio academico, quod pleno  
ingressus eras gradu, feliciter confecto, ex quo Patria, quae  
TIBI carissima est, multum sane sperare potest utilitatis. In  
quam benignissimus DEVS TE sospitem, precor, reducat, TE-

E

que

que semper comitetur, vt, quo ire TE iubeat, optimo illo  
duce laetior ire possis atque tutior. Haic meas fero preces,  
vt et animi TVI tam paeclarum, qua semper me complexus es,  
indolem praemiis ornet exoptatissimis. Quodsi itaque, AMICE  
OPTIME, prosperrimo fortunae flatu frueris, si bonis omni-  
bus ac diligentiae fructibus TE exornatum senties, fontesque  
deliciarum TE circumdabunt, quos quidem ipse DEVS T. O. M.  
tamquam fons bonorum omnium TIBI aperiat, ea mihi praecipue  
in votis fuisse, arbitrator. Vale ita, AMICE SVAVIS-  
SIME, et viue feliciter, mei numquam immemor. Scribebam  
Halac Salicae, die x. Apr. c<sup>o</sup> 1000 LXII.



MON

MONSIEUR,

MON TRÈS-CHER COUSIN!

Voilà la récompense de vos travaux, qui ont fait jusqu'ici l'objet de vos plaisirs. Vous ne pouviez finir plus gloorieusement votre cours académique, que par cette dissertation, dont vous enrichissez la république des lettres. Vous allez faire voir et confirmer votre connoissance théologique, défendre publiquement la vérité, que vous avez apprise, et acquérir un témoignage éclatant, par où vous vous recommandez non seulement à vos supérieurs, mais encore à tout le monde. Je vous félicite de ce bonheur: car c'est déjà un bonheur, que d'avoir poussé les études académiques jusqu'à ce dernier degré, et que d'oser s'engager, sans peur et avec assurance, dans un combat aussi dangereux, qu'est celui, où vous vous engagés. Je vous félicite d'avance du bon succès, que vous allez voir; car je suis certainement persuadé, que vous ferrez bien vos affaires, et que vous n'imitez point ces athlètes, qui, quand ils sont aux abois,

bois, regardent en arrière, si personne ne vient à leur secours. Si je ne suis pas des premiers, à vous en féliciter; je suis pourtant un de ceux, qui prennent le plus de part à votre fécicité. Vous m'avez choisi pour opposer quelques avances à votre dissertation. Je vous en rends graces; mais je fais, que je ne ferai, que facilement repoussé. Qu'il soit ainsi. Au reste, je prie la divine bonté, de vous faire parvenir en bonne santé à la maison, et de vous donner le prix, auquel vous avez consacré tous vos efforts, c'est à dire, la force de servir utilement la patrie. Je vous prie, de continuer l'amitié, qui nous a joints jusqu'ici, et je vous promets de mon côté, d'en serrer toujours plus fortement les liens. En attendant, que j'âie le bonheur de vous révoir un jour, je vous supplie de vous souvenir quelquefois, de celui, qui vous suit de près, et qui, en vous souhaitant toute la prospérité imaginable, est, et demeurera toujours,

MONSIEUR,

MON TRÈS-CHER COUSIN,

à Halle,  
ce 9 Avril, l'an de grace  
1762.

Votre très-humble Serviteur et Cousin,

CHRÉTIEN DAVID IANI,  
de Halle en Saxe, Etudiant en Théologie,  
Opposant.







DISPVTATIO THEOLOGICA

DE

# COMPARATIONE STATVS ECCLESIAE APOSTOLICAE

ET  
HODIERNI RITE AC SOBRIE INSTITVENDA

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMME REVERENDO, DOCTISSIMO

## IOANNE GEORGIO KNAPP,

THEOLOGIAE DOCTORE,

EIVSDEM QVE PROFESSORE ORDINARIO,

### FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO

PIE COLENDO,

D. XVI APRILIS C<sup>I</sup>D<sup>I</sup>CC<sup>L</sup>XII

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

## IOANNES CHRISTIANVS IANI

FRISO ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOANNIS ANDREAE STEPHANI.

(45)